Warren, G. J., Lord Vernon, editor.

Dantis Alighierii legatio pro Franciscchino Malaspina.

Pisis. 1847.

DANTIS ALIGHIERI

LEGATIO

PRO FRANCISCHINO MALASPINA

AD INEUNDAM PACEM

CUM ANTONIO EPISCOPO LUNENSI

ET

CONSTITUTIO PACIS

ANN. MCCCVI

DENUO RECOGNITA ET ITERUM IN LUCEM EDITA

CONSILIO ET SUMPTIBUS

George John Warren

G. J. BAR. VERNON

PISIS

EX OFFICINA NISTRIANA

MDCCCXXXXVII

III

DANTIS ALIGHIERI
Legatio pro Francischino Malaspina ad ineundam Pacem cum Antonio Episcopo Lunensi.
Ann. 1306.

In Nomine Domini. Amen. Anno a Nativitate ejus Millesimo CCCVI. Indictione IV. Die VI. Octobris ante Missam.

Magnificus Vir Dominus Franciscinus Marchio Malaspina fecit, constituit, et ordinavit suum legitimum Procuratorem, Actorem, Factorem, et Nuncium specialem, Dantem Alegerium de Florentia ad pacem sedationem, quietationem, remissionem, et finem perpetuam recipiendam a Venerabili in Christo Patre, et Domino Domino Antonio Dei gratia Lunensi Episcopo, et Comite, dante, et reddente pro se, et suis Successoribus, et lunensi Ecclesia, et Amicis, Subditis, et Sequacibus suis de omnibus, et singulis injuriis, guerris, inimicitiis, offensionibus, incendiis, damnis, rebellionibus, vulneribus, homicidiis, et quibuscumque aliis delictis, seu enormitatibus perpetratis, tractatis, vel contractis hactenus contra ipsum Venerabilem Patrem, et Lunensem Ecclesiam, vel homines, et sequaces ipsius per Dominum Dominum Franciscinum, et Dominos Morroellum, et Conradinum, Fratres March. Malaspina, et amicos subditos, et sequaces ipsorum, de quibus ipsi Procuratori videbitur, et placebit. Et ad similem pacem, sedationem, quietationem, remissionem, et finem perpetuam faciendam, et reddendam ipsi Domino Episcopo pro se, et suis Successoribus, et Lun. Ecclesiæ, et amicis, et sequacibus, et subditis recipienti Procuratorio nomine ut dictum est pro ipso Domino Francischino et prædictis Dominis Morroello, et Con-

*

radino, et Fratribus, et eorum amicis subditis, et sequacibus de quibus ipsi Procuratori placebit, et videbitur ut est dictum, cum illis pactis, conditionibus, et causis, modis, tenoribus, promissionibus, pœnis et obligationibus de quibus ipsi Procuratori videbitur, et specialiter ad promittendum pro ipso Domino Francischino, et ipsum Dominum Francischinum ad illam pœnam, quæ sibi videbitur, et sicut voluerit obligandum perpetuo, et ad tempus, quod ipse Dominus Francischinus sic faciet et curabit quod Dominus Conradinus prædictus ratificabit, et approbabit pro se, et fratribus suis omnia, et singula facta, gesta, promissa et procurata per ipsum Dantem Procuratorem pro ipso Domino Francischino, et ipsius nomine cum omnibus pœnis, et obligationibus, quæ per ipsum Dantem fuerint factæ, promissæ, vel stipulatæ. Item ad omnia pacta, promissiones, stipulationes, obligationes, exceptiones, et renunciationes faciendum, et recipiendum, prout ipsi Procuratori in omnibus videbitur et placebit. Et generaliter ad omnia alia, et singula facienda, gerenda, procuranda, et exercenda, quæ in prædictis, et circa prædicta, seu ab ipsis dependentibus coherentibus, et connexis fuerint utilia, et necessaria, et quæ ipse Dominus Francischinus facere, gerere, et promittere posset si præsens esset; Ita quod ejus absentia nihil impediat, seu prorsus lædat, Dans dicto suo Procuratori in prædictis omnibus, et singulis plenum, liberum, speciale, et generale mandatum cum plena, libera, et generali totorum bonorum administratione. Rata, grata, et firma perpetuo habiturus omnia, et singula quæ per ipsum Dantem Procuratorem in prædictis et circa prædicta, et ab ipsis dependentibus, seu ipsis coherentibus et connessis fuerint facta, gesta, promissa, stipulata, et procurata sub obligatione bonorum suorum presentium, et futurorum.

Actum Sarzanæ in Platea Calcandulæ. Præsentibus Ven. Fratre Guillelmo Malaspina Ordinis Minorum, Bartolommeo Tanaregia Milite de Luca, Domino Tomasino Judice filio Parentis Stupij de Sarzana Testibus ad hæc rogatis, et vocatis.

CONSTITUTIO

Pacis initae a Morello, Francischino, et Conradino cum Episcopo Lunensi, Sponsionem recipiente Dante Alighieri.

Ann. 1306.

In Nomine Domini. Amen. Anno a Nativitate ejus Millesimo CCCVI. Indictione IV. Die VI. Octobris in hora tertia. Diucius diabolica exsuperante potentia inter Venerabilem Patrem et Dominum Dominum Antonium Dei gratia Lunensem Episcopum, et Comitem, et Magnificos Viros et Excelsos Dominos Morroellum Francischinum, Conradinum et Fratres Marchiones Mal. Guerris, inimicitiis, odiisque subortis, ex quibus homicidia, vulnera, cædes, incendia, vasta, damna et pericula plurima sunt secuta, ac Provincia Lunexanæ diversimode lacerata, præfati Domini Episcopus, et Marchiones summi Patris inhærentes exemplo suis dicentis Apostolis, Pacem meam do vobis, Pacem meam relinquo vobis, eamdemque effectum operis amplexantes mediante tractatu venerabilis, et devoti viri Domini fratris Guillelmi Mal. et fratris Guillelmi de Godano Sanctissimi Ordinis Fratrum minorum, attendentes etiam quod omni regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua populi proficiunt, et gentium uctilitas custoditur, quæ bonarum etiam artium decora mater mortalium genus reparabili subcessione multiplicat, facilitates protendit, mores excolit, vixque quantæ sit virtutis agnoscitur, in eorum amicorum, sequacium, et subdictorum octiosa tranquillitate, et pacis amenitate placida gloriantes, excelsi Salvatoris gratia illustrante ad infrascriptam pacem veram et perpetuam concordiam devenerunt. Videlicet

Quod antedictus Venerabilis Pater Dominus A. Lunen. Episcopus et Comes pro se et Lunensi Ecclesia, et suis sequacibus et hominibus videlicet Nobilibus de Fosdenovo, Pucio et Francisco de la Muscha, Filiis quondam Facij de Falcinello et hominibus terrarum, et Castrorum Lunen. Ecclesiæ, et Comunitatibus ad ipsum Dominum Episcopum, et Lunen. Ecclesiam pertinentibus comuniter vel privatim reddidit, et fecit Danti Alegeri de Florentia Procuratori D. Francischini Marchionis Mal. prædicti ad infrascripta specialiter constituto, prout constat publico instrumento scripto manu Joannis Parentis Not. infrascripti de Sarzana in præsenti millesimo, Indictione, et die, in hora prima, Recipienti Procuratorio nomine pro ipso Domino Francischino, et dicto nomine de ipsius Domini Francischini speciali mandato pro Domino Conradino filio Q. Domini Oppecini Marchion. Mal. pro quo Domino Conradino dictus Dante Procurator Procuratorio nomine dicti Domini Francischini promisit quod omnia suprascripta et infrascripta pro ... [1] fratribus suis infra XV dies a celebratione presentis contractus ratificabit, et approbabit, et firma et rata habebit, tenebit, et observabit, et pro ipsis omnibus attendendis, et observandis promittet, et se obligabit, per modum legitimum, et sicut ipse Dominus Episcopus pro sua parte in presenti contractu promittit, et se obligat. Et pro Domino Morroello Marchione Mal. pred. pro quo idem Dante dicto Procuratorio Nomine Domini Francischini promisit, quod ipse Dominus Francischinus inducet si poterit ipsum Dominum Morroellum ad omnia supradicta et infrascripta ratificanda, et firma tenenda ut et supra, et infra promittet et se obligabit Dominus Episcopus antedictus recipienti etiam pro omnibus et singulis hominibus terrarum ipsorum Dominorum Marchionum, et sequacium eorumdem, videlicet parte ipsorum Dominorum Marchionum de Sarzana, et Castro Sarzanæ, Comune et hominibus

(1) Unum aut duo verba desunt.

de Carraria, Comune et hominibus de Ponzano, Comune et hominibus de Bibola, Pars de S. Stefano et Bolano veram et perpetuam pacem, remissionem, quietationem, et finem de omnibus et singulis, et pro omnibus et singulis offensis, guerris, inimicitiis, offensionibus, incendiis, damnis, rebellionibus, vulneribus, homicidiis, et quibuscumque aliis delictis, seu enormitatibus perpetratis, tractatis, vel contractis hactenus contra ipsum Ven. Patrem; et Lunesem Ecclesiam, vel homines et sequaces ipsius superius nominatos.

Et e converso Dante predictus Procurator, Procuratorio nomine, et pro ipso Domino Francischino Marchione nomine, et vice Dominorum Morroelli, et Conradini Marchionum prædictorum pro quibus dictus Procurator promittit de rato ut supra et pro omnibus eorum sequacibus, videlicet hominibus terrarum supradictorum ipsorum Dominorum Marchionum, ex parte ipsorum de Sarzana, et Castro, Comune et hominibus de Carraria, Comune et hominibus de Punzano, Comune et hominibus de Bibola, Pars de S. Stephano, et Bolano fecit, et reddidit dicto Venerabili Patri accipienti pro se, et Lun. Ecclesia, et omnibus, et singulis suis sequacibus supradictis veram et perpetuam pacem de omnibus et singulis prædictis, et quibuslibet excessibus, et offensionibus, et in signum veræ, et perpetuæ pacis Dominus Venerabilis Pater Dominus Episcopus, et Dante prædictus sese ad invicem osculantes. Hoc acto de comuni concordia prædictorum, quod idem Venerabilis Pater Dominus Episcopus debeat, et teneatur amicos, et sequaces Dominorum Marchionum prædictorum tractare, tenere, et habere ab hodie in antea pro veris legitimis, et propriis amicis suis; et e converso præfati Domini Marchiones teneantur, et debeant ab hodie in antea tractare, tenere, et habere amicos, et sequaces præfati Domini Episcopi pro veris legitimis, et propriis amicis suis.

Item in pace prædicta, Idem Ven. Pater fecit expressam

remissionem dicto Danti recipienti ut supra de omnibus et singulis bonis, vel rebus acceptis, seu habitis per ipsos Dominos Marchiones, vel alios nomine ipsorum tempore occupationis factæ de Episcopatu de anno proxime præterito, seu per officiales ipsorum a die restitutionis Domini Cardinalis retro.

Item promittit Dominus Episcopus prædictus Danti prædicto recipienti nominibus quibus supra quod ipse Dominus Episcopus omnes condemnationes, sententias Banna et processus factos, facta, et data, vel quæ, seu qui fieri possent, occasione aliquorum commissorum, vel debitorum ab hinc retro tam in temporalibus quam in spiritualibus per ipsum Dominum Episcopum, vel ejus Curiam temporalem, vel spiritualem contra dictos Dominos Marchiones, et ipsorum amicos, subditos, et sequaces prædictos faciet cassari, irritari, et annullari, et cassabit, irritabit, et annullabit, et statuet, et decernet pro nullis, cassis, et irritis haberi, et teneri per quoslibet ipsius Domini Episcopi Vicarios, Judices, Potestates, Rectores, Notarios, et cæteros alios Officiales, et quamcumque personam, et sibi reconciliabit, et pro reconciliatis habebit omnes illos, de quibus in concordia fuerit pro Domino Francischino Marchione prædicto, hac conditione videlicet, quod prædictus Dominus Francischinus et Conradinus, et Dominus Morroellus si cuncta habere voluerint supradicta et infrascripta vice consimili faciant, et facere teneantur de amicis, subditis, et sequacibus ipsius Domini Episcopi cum clausula ista, quod amici et sequaces prædicti utriusque partis, et qui sibi ad invicem inimic.... (1) ad pacem, et concordiam, reduci debeant .... (2) et modis omnibus, quibus poterunt per prædictum Venerabilem Patrem, et Dominum Francischinum Marchionem prædictum.

Acto etiam hoc specialiter et expresse inter dictum Dominum Episcopum, et dictum Dantem agentem nomine quibus su-

(1) Desunt nonnulla. (2) Id.

pra, quod jura Brineæ et Bolani remaneant in eo statu in quo nunc sunt usque ad certum tempus eligendum, et statuendum, seu terminandum ab ipso Domino Episcopo ex una parte, et præfato Domino Francischino Marchione Mal. pro se et Dominis Conradino, et Morroello in quantum ipse Dominus Morroellus rata habere voluerit supradicta et ex infrascripta altera. Et quod ab eo tempore ultra sic dicto statuto, vel terminato sit licitum partibus antedictis in Castro Brineæ et Bolani prosequi jura sua, et propter hoc quod sic ipsa jura prosequantur dictæ partes vel aliqui Eorum, non intelligatur pax esse fracta. Et pax quæ modo facta est et fit non deroget juribus alicujus dictarum partium in ipsis Castris Brineæ et Bolani.

Convenerunt insuper ex pacto sollemni stipulatione vallato, inter prædictum Dominum Episcopum ex una parte, et Dantem Præfatum Procur. Dicti Domini Francischini Marchionis Procuratorio nomine pro eo ex altera quod prædictus Dominus Francischinus si non posset inducere dictum Dominum Morroellum ad omnia prædicta ratificanda, et firma tenenda ut supra expressum, et dictum .... (1) non teneat et ex eo vel propter ea quod sic .... (2) Dominum Morroellum facere consentire, et ratificare prædicta nec ipse Dominus Episcopus obligetur, nec obligatus intelligatur ad pa .... (3). Morroello et hominibus Terrarum ipsius, si sic ut supra non consentiret, et ratificaret ipse Dominus Morroellus, nec robur assumat pax, vel .... (4) sic facta pro ipso Domino Morroello et hominibus Terrarum ipsius nisi sic ut supra ipse Dominus Morroellus consenserit, ratificaverit, et approbaverit omnia et singula supradicta, et infrascripta.

Hanc autem pacem et veram concordiam remissionem absolutionem liberationem et quietationem et omnia et singula supradicta promiserunt sibi ad invicem dictæ partes. Videlicet dictus

(1) Unum aut duo verba desunt prout minime intelligibilia. (2) Unum, duo aut tria verba desunt. (3) Unum aut duo verba desunt. (4) Id.

Dominus Episcopus ex una parte, et DANTE præfatus Procurator dicti Domini Francischini Procuratorio nomine pro eo, et nominibus quibus supra ex altera, sollemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, perpetuo rata grata et firma habere tenere, observare et adimplere, et contra ea vel aliquod eorum numquam facere vel venire per se vel per alios de jure vel de facto, nec alicui contravenire vel facere volenti consentire, imò sese in contrarium opponere et pro viribus impedire in pena et sub pena mille Marcharum argenti sollemni stipulatione promissa ac toties committenda et effectualiter exigenda pro parte fidem servante a parte quæ non servaret prædicta, vel aliquod prædictorum quoties contra prædictam vel prædictorum aliquod factum, vel ventum foret, prædictis nihilominus in suæ firmitatis robore duraturis. Pro quibus omnibus et singulis sic attendendis et observandis et pænis prestandis et solvendis obligaverunt sibi ad invicem dictæ partes videlicet dictus Dominus Episcopus se et suos subcessores, et bona Episcopatus et ejus propria. Et dictus DANTE Procurator dicti Domini Francischini Procuratorio nomine pro eo, ipsum Dominum Francischinum et ejus bona habita et habenda. Acto hoc expresse et specialiter, inter dictas partes quod in tantum obligetur et obligatus intelligatur ad pœnæ solutionem, et exationem dictus Dominus Francischinus, et prædicti Dominus Conradinus, et Dominus Morroellus in quantum ratificaverint supradicta omnia ut supradictum et expressum est ipsi Domino Episcopo et suis subcessoribus . . . . (1) ipse Dominus Episcopus et sui subcessores . . . . (2) et obligari possent. . . . . (3) per suprad. Stipulationem ipsi Domino Francischino, et aliis Dominis Marchionibus supradictis; renunciant. dictæ partes omnibus et singulis eorum exceptionibus, et defensionibus . . . . (4) et Canonicis beneficiis et privi-

(1) (2) (3) (4) Non pauca verba desunt.

legiis, quibus contra prædicta possent facere vel venire, vel a prædictis seu eorum aliquo aliqualiter se tueri.

Actum in Camera Episcopalis Palatii de Castro Novo præsentibus Domino Fratre Guillelmo Malaspina Ordinis Minorum, Domino Bertolo Lunen. Archidiacono, Domino Percivalle de Camilla Fratre ipsius Domini Episcopi, Fratre Gasparino de Sarzana, Dominis Mazig. de prædicto Tomasino filio Parentis Stupii de Sarzana, et Francischino de Pelacano Judicibus testibus ad hæc rogatis et vocatis.

Infrascripta sunt pacta firmata inter Dominum Antonium Lunensem Episcopum ex parte una, et Dominum Francischinum Marchionem Malaspinam pro se et Consortibus suis, ex altera, et secundum ea fieri debet pax, et facta est ut in nostro contractu continetur, et firmata infrascripta pacta in camera episcopalis Palatii de Castronovo die et anno supradictis, et coram predictis testibus: et sunt hæc videlicet. Pacta quæ petit Dominus Francischinus Marchio Malaspina pro se et Consortibus suis, et eorum amicis de Lunexana, atque sequacibus pro pace facienda inter eos et Dominum Lunensem Episcopum sunt.

. . . . (1)

Tertio: quod omnes condemnationes, banna, et processus facta et facienda vel quæ fieri possent occasione aliquorum commissorum ab hinc retro tam in temporalibus, quam spiritualibus per Dominum Episcopum vel ejus Curiam temporalem vel spiritualem contra amicos, subditos et sequaces Dominorum Marchionum sint cassa irrita et nullius momenti, atque cassari debeant per ipsum Dominum Episcopum et quod omnes imbaniti seguaces et amici ipsorum Marchionum, quos nominandos duxerit ipse Dominus Francischinus reconcilientur cum ipso Domino Lunen. Episcopo.

(1) Desunt undecim lineæ, quæ nigra macula obductæ legi nequeunt, et continent primum et secundum articulum.

Ex nunc declaretur et vice consimili fiat de sequacibus et amicis Domini Episcopi in clausula commissionis faciendæ de amicis et sequacibus qui sibi ad invicem inimicarentur jura vero Brineæ et Bolani remaneant in eo statu, in quo nunc sunt, usque ad certum tempus a partibus eligendum. Et ab eo tempore ultra sit licitum partibus in Castro Brineæ persequi jura sua, et propter hoc pax non intelligatur esse fracta, et quod nunc pax fiat non derogando juribus alicujus partium.

Sequaces dominorum Marchionum (1).

Pars de Sarzana et castro Fosdenovo.

De Carraria.

De S^{to} Stephano et Bolano.

(1) Deest unum verbum.

Extract. ex tabulario pub. civitatis Serazanensis, serie 342, tit. 3. instrument. Notarii pub. Parentis Stupii.